


37





20.
29
Q. D. B. V!
MAGNI HIPPOCRATIS COI

Aphorismi VI Sectionis VI,
in quo
vitiatorum renum & vesicæ in Senioribus
prognosis traditur,

RESOLUTIO,

*Consensu & Auctoritate Inclytæ Facul-
tatis Medicæ*

in

Alma Salana,

SUB PRÆSIDIO

DN. MARTINI HARTMANNI,

Phil. & Med. Doct.

publicæ philiatrorum censura exposita

à

JOHAN. SEBASTIANO DICELIO,

Smalcaldensi,

in Acroaterio Medicorum,

ad diem Martii Anno 1670.

horis consuetis.

J E N Æ,

Literis WERTHERIANIS.





JUVANTE JEHOVA!



Etrodorus consolaturus sororem ob amissum optimæ indolis & ingentis speciei filium, inter alia epistolæ consolatoriae hæc verba intexuit: MORTALE EST OMNE MORTALIUM BONUM.

Quibus paucissimis quidem, verum non secus ac ex tripode dictis verbis ostendere & firmissima *ἀποδείξεις* demonstrare voluit, quàm impossibile sit, ut constans & æterna possit esse ullius rei possessio, cum, docente experienciâ, partim possessor ipse quotidie moriatur, quotidie de vita ipsius aliqua pars dematur, atque eo ipso, dum crescit, decrescat, quid? quod nascens moriatur & ipsius finis ab origine pendeat; partim res possessa multis injuriis & edacitati temporum sit exposita, cariem patiatur, & multiformem tractu temporis subeat metamorphosin, eoque ipso eximia vanitatis & fugacitatis suæ prodat argumenta.

Possessorum quisque suos patimur manes. Possessionum nulla sub polo perennis. Illi duro premuntur fato, dum idem in vita, quod fluctuantes in mari, experiuntur.

Quemadmodum enim illis terræ urbesque recedunt; sic hi in hoc rapidissimi temporis decursu primum pueritiam abscondunt, deinde adolescentiam, postea quicquid est inter juvenem & senem.

A

mc-

medium in utriusque confinio positum, denique senectutis optimos annos, novissimè incipit ostendi publicus finis humani generis, mors.

Possessionum nulla ipsâ sanitate (vel autoritate Imperatoria) pretiosior & jucundior, nulla fugacior & potioribus mutationum periculis magis exposita.

Quænam ætas sibi constantem potest polliceri valetudinem, quæ tantâ prærogativâ gaudeat, ut nullam sanitatis & morbi experiatur vicissitudinem? nulla certè. Imò tantum abest, ut à communi lege ulla sit exempta, ut potius

*mista senum juvenum densentur funera. Nullum
seva caput Proserpina fugit.*

Infantiam epilepsia vexat, dentitio cruciat, adolescentiam ætatemque virilem ardores febriles, dolor laterum & hypochondriaca mala torquent & exagitant: senium marasmus, renum & vesicæ vitia, enervant & macerant.

Et quæ sunt alia, quæ corpus nostrum per totam vitam concoquunt mala: ut confiteri necesse habeamus, vitam, quam vivimus, nil nisi iter esse, omnesque ætates esse certas approximationes ad mortem, quam non denunciavit, qui nos aufert morbus, quamque non hora ultima fecit, qua esse desinimus, sed tantum consummavit; quemadmodum videmus clepsydram non ultimum exhaurire stillicidium, sed id, quod ante defluxit: ita non ultimum in agone suspirium vitæ & mortis est mutatio, sed diuturnus naturæ cum morbis conflictus.

Idem concordia comprobant suffragio & sacramentum

rum & profanarum literarum monumenta. Omnium autem clarissimè *Cous* noster inculcat, dum passim omnium corporis humani partium, omnium ætatum, præprimis verò senectutis, morbos sanabiles & insanabiles recenset.

Cujus argumenti etiam est *aphorismus VI. Sectionis VI.* quo summus artis medicæ instaurator, quid de vitiis renū & vesicæ, si seniores invadant, sit sentiendum, oraculi ad instar Delphici protulit. Quem ipsum pro ingenii nostri modulo illustratum dissertationis loco ventilandum exhibemus.

Adsit Sacro Sanctum Numen ut evitatis errorum mæandris & anfractibus in ipsius gloriam & proximi salutem veritatis teneamus semitam.

CAPUT I aphorismum & ejus verborum ἀνάλυσιν continet.

O Raculum, quod *divinus Senex Hippocrates Sect. VI. aphorismorum ordine VI. protulit*, sequentibus continentur verbis:

Τὰ νεφελικά, καὶ ὀκώου καὶ τὴν κύστην ἐργασθῶς ὑγιαίνειται τοῖσι πρεσβύτησι.

Renum & vesicæ vitia in senioribus difficulter sanantur.
Laconicâ verborum brevitate, sed singulorum peculiariter gravitate & ponderositate hocce profertur prognosticon, ut non immeritò singula videantur pondera, specialemque eorum quodlibet sibi deposcat explicationem, quam, ne nobismet ipsis desimus, etiam tradimus sequentem.

4.

Frontispiciū τὰ νεφελικὰ exhibet, subintellige ἀλ-
γήματα, quam vocem etiam exemplaria quaedam expri-
munt.

Ipsū thema νεφελικὸς descendit ἀπὸ τῆς νεφῆς, in
plurali usitatore νεφῆσι, qui à νεφειν quasi mingentes ap-
pellantur, ut aliis placet. Latinis, ren, renes, dicuntur à
fluendo, quod per eos materia urinæ fluat.

Ab hisce denominationibus non abhorret illa, quæ
renes à rivulo nomen sortitos esse perhibet.
Germani dicunt Nieren.

Tropicā quadam ratione diversam induit significatio-
nem apud authores tam sacros, quàm profanos. Alius
nempe per renes lumbos, quia sub lumbis decumbunt;
alius intima cordis desideria; alius fortitudinem & robur
indigitavit: De quibus omnibus consuli potest *Matthias
Martini philologicum*.

Hippocrati οἱ νεφροὶ renes nil aliud sunt, quàm partes
corporis humani, quarum γένεσιν καὶ φύσιν lib. πρὸς δὲ χῶν se-
quentibus describit: Οἱ ἦ νεφροὶ ζυνέστησαν ὧδε. ὀλίγον τὸ
καλλώδεον, τὸ θερμὸν ὀλίγον, τὸ ψυχρὸν πλείστον, καὶ ἐπάγη
ὑπὸ τῆς καὶ ἐγένετο σκληρότατον τὸ ἀλάγχνον, καὶ ἤκιστα ἐρυ-
θρὸν, ὅτι ἔ' πολὺ θερμὸς ζυνέστη, *Renes verò hoc modo sunt pro-*
ducti: parum viscosi & parum calidi, plurimum verò frigidi
fuit conclusum & ab hoc coagulatum est, & durissimum evasit
viscus, & minimè rubrum, quod non plurimum calidi ad ejus
generationem convenit.

Sunt itaque renes ex mente *Hippocratis* viscera tempe-
ramento frigidiore, colore ex rubro albescente, parenchy-
maticā carne duriore prædita.

Figurâ gaudent ovali. In nonnullis animalibus
ex coordinatis lobis sphericis componuntur. Humani pha-
seolos exhibent.

Numero s. n. sunt duo, in utroque latere seorsim de-
cumbentes, alter juxta hepar, alter juxta lienem.

Involucro teguntur duplici, proprio tenui, & alieno
crasso

5.
crasso & adiposo, quod ipsis laxè adhæret, & ortum debet peritonæo.

Situs ipsorum in inferiore ventriculo juxta Hipp. lib. *ἔστι ὁστέων φύσεως* statim ab initio describitur. *Ὁ τὸ νεφρὸς τὰ κοίλα ἐωυτῶ πρὸς τὰς φλέβας ἔχων κέσται τὰς μεγάλας, Ren qua cavitate ad magnas venas situs est.*

Cùm enim venæ in medio utriusque lateris confinio sub vertebris lumborum descendant, & in utroque latere ren latitet, alter in altero, sese adversis cavitatibus mutuò respicere necessum habent.

Ludit tamen interdum natura in magnitudine, figurâ, numero, & situ: illam consueto more nunc majorem, nunc minorem; hanc piriformem, nunc corniculatam, nunc aliter atque aliter fictam exhibet; numerum in alio auget, in alio minuit: situm nunc elevatiorem, nunc depressiorem concedit, (uti observarunt Anatomici, *Baubinus, Bartholinus, & alii.*) Et si unicus saltem reperitur, is nunc in sinistrum, nunc in dextrum propendet latus, nunc ex assè ipsius spinæ medio incumbens, venis & arteriis descendantibus, quâ cavitatem suam, adhæret.

Nihilominus ubique salva est illorum *actio*, quæ in serosa colluviei à sanguine separatione consistit, consentientibus in unum omnibus, exceptis *Eristrato & Asclepiade*, authoribus.

Quomodo verò perficiatur ista segregatio, iidem in diversas abeunt sententias.

Pergamenus, illam fieri propriâ renum vi autumat; in foraminum angustiam serique subtilitatem rejiciunt *cribri benedicti inventores*: facultate renibus innatâ, propriâ ad justitiam temperie & formâ ipsorum essentiali illam perfici defendit *Vesalius*: retentioni sanguinis & expulsionem seri adscribit *Laurentius*: à portione atræ bilis in renibus spuris contentâ illam facilitari suadet *Veslingius*: sola vasorum configuratione perfici *Laurentius Bellinus* adstruit: alii aliter arbitrantur.

Nos quemque suo abundare sensu permittimus, cùm

nullius opinio, si res cum suis modis, quibus afficitur, spectetur, à veritate absque appareat.

A nobis si expetatur ratio separationis, nulli dubitamus subscribere illorum sententiæ, qui à motu & conformatione tum partium fecernendarum, tum pororum tanquam viarum, per quas separatio fieri debet, eam deducunt.

Cui sententiæ favere videtur plurimum honorandus Praceptor Noster Dn. Job. Theod. Schenck, in dissertat. suis anatom. lib. I. Sect. II. cap. XXVII. dum sequentia proponit: secretio feri à sanguine est actio renibus propriè competens, ad quam duo concurrunt, *temperamentum*, quod est calidum & siccum, & *conformatio*, qua parenchyma & qua vasa.

Cùm enim, quod ipsis oculis manifestissimum est, si è venâ profilientem sanguinem adspicimus, sanguini serosa pars & aquea, quemadmodum alii etiam humores excrementitii v. g. *bilis*, sit intimè permixta, ut segregetur, calorem prærequirit, non quemlibet, sed proportionatum: deinde convenientes vias, per quas, quod segregatum est, expellatur. Deficientibus enim talibus aut aliter conformatis, vel obstructis, penitus cessat actio, aut vitiosè, ut in *diabete* & *calculo*, exercetur.

Ren dissectus monstrat cavitatem satis amplam, (quæ dicitur *sinus s. pelvis, infundibulum*) in ipsa renis carne exsculptam. Cavitas hæc est obducta expansione ureteris, qui inibi, ut sphaeræ concavæ dimidium, se se explicat, & qua convexitatem suam subtus venæ & arteriæ ramis adhæret.

Dividitur in *inferiorem* & *superiorem* partem; *illa* æqualis, glabra, admodum levis, medio perforata, ut urinam in ureterem immittat, quæ κατ' ἐξοχλῶ pelvis dicitur; *hæc* magis convexa est & cribrum s. *incerniculum* vocatur.

Plura qui de renibus scitu utilissima & lectu jucundissima desiderat, adeat *Nobilis. D. Schenckii. Exercit. Anatom. Lib. I. Sect. II. cap. XXVII. ejusdem Schol. part. II. c. IX. Thom. Bartholini c. XVII. anatom. reform. Bartholom. Eustach. Tract. de renum structura* & *Laurent. Bellini de renum structura dissertationem.*

Cæte-

7.
Cœterum τὰ νεφρική sc. ἀλγήματα idem est ac νεφρίτις
morbus renum, cuius duplex in veterum monumentis obser-
vatur significatio: *specialis* una, quatenus idem importat ac λι-
θίασις, np. calculi morbum, ceu patet inter alia ex *aph. 31. Sect.*
III. & aph. XI. sequente: altera *generalis*, quatenus omnem
affectum involvit, qui renes quocunque modo affligit. Id
quod præ cœteris ex nostro demonstrat aphorismo *Galenus*,
ubi per τὰ νεφρική omnia renum vitia, eodem interprete,
sunt intelligenda.

καὶ ὅσα κ' ἐπὶ τὴν κύστιν) adde vel ἀλγήματα vel νοσήματα,
& quicunque sunt vesicæ scil. dolores vel morbi. Quis ho-
rum verborum sit genuinus sensus, patet, si vocis κύστις ono-
matologiam excusserimus.

Κύστις vesicam latinis significat. Græca vox, an descen-
dat ἀπὸ τῆς κέσθου, ἢ κέρπειν τὸν ἄρον, cum venerando nostro
Præceptore criticis dijudicandum relinquimus. *Exercit. Anat.*
pag. 534. Latina descendere creditur à Græco φύσα vel φύσα,
quod à φυσάω inflo, eò, quod ad inflandum sit apta.

Tribuitur hæc vox æqualiter vesicæ biliaris & vesicæ
urinariæ, ad differentiam verò illa dicitur χοληδόχος; hæc
ἄρονδοχος, quod illa bilem in se, hæc urinam contineat.

Absolutè posita apud *Hippocratem* per Antonomastiam,
urinæ vesicam denotat, ut videre est *aphor. 75. & 79. Section. IV.*
& alibi passim.

Neque semper tam angustis continetur terminis, ut
nil aliud præter urinæ importet receptaculum; sed amplia-
tur ejus significatio, & κύστις nomine veniunt omnes par-
tes urinæ secernendæ dicatæ, quales sunt renes ipsi, mea-
tus urinarius, ureteres dicti, vesica & penis, ut colligi pot-
est ex loco, qui habetur *lib. pranot. (cod. Voëf. p. 43. 42.)* quem
Galenus lib. περὶ κρῦσεων cap. 7. ita accipiendum monet.
Quid? quod per κύστιν totam inferioris ventriculi regio-
nem, eo, quod inibi vesica urinaria recondatur, indigi-
tavit antiquitas, monente *Anutio Eoëfio in Oeconom. Hippocra-
tis sub voce κύστις.*

Hoc

Hoc autem loco per *nōsiv Hippocrites* videtur intelligere capsulam illam membranofam in imo corporis humani ventriculo latitantem, in quam urina à renibus mediantibus ureteribus destillat. Cujus substantia vulgariter ex duabus comopfità creditur tunicis, una propria & interna, villis re-ctis, transversis & mediis inter hos obliquis valde intertexta: altera exterior, quæ juxta *Vesalium* ex peritoneo suas deducit propagines.

Accuratiores tres afferunt, duas proprias, quarum *alteram exterior* crassior, & propter carneas fibras, quæ ipsi infunt, à *Casserio, Platero & Spigelio* pro musculo agnita: *altera interior* nervea & lucida: *tertiam* peritoneum largitur.

Quantitas discreta naturalis unitate terminatur: geminas observavit *Isaacus Cattierius* in infante *observ. XX.* in duas classes divisam vidit *Baubinus.* Magnitudo ratione ætatis, vitæ generis & morborum, varias majoritatis & minoritatis subit mutationes.

Tota dividitur in duas partes, quarum una dicitur *fundus* qui urinam recipit & intra se complectitur; altera *cervix* appellatur, quæ mediante musculo sphinctere urinæ exitum aperit & claudit liberrimè.

Figura est ovalis, cucurbitalis, in foetu oblongior, in adultis amplior.

Actio ejus *primaria* est collectio & excretio urinæ; *secundaria* rerum non naturalium in urina contentarum v. g. sabuli & calculorum, coacervatio.

Modum agendi docet *Plempius Fundam. Med. lib. 2. c. 9.* quem si non totum conficiunt situs opportunitas & substantiæ ad distendendum & contrahendum aptitudo, multum tamen promovent. *Adi sis D. Schenckii dissertat. Anatom. prælaudat. lib. 1. Sect. II. cap. XXX. Ejusd. Schol. part. part. II. c. XI. Gorrhai defn. medic. sub voce nōsiv, Thom. Barthol. Anatom. reform. lib. 1. cap. XX.*

Si quis tamen hoc aphorismo præter explicatam modo partem, & ureteres & ipsum penem & omnes denique partes
urinæ

9.
urinæ excretioni inservientes velit intelligere, ut ἀλγίματα
καὶ κύστιν ipsi sint omnes morbi dictarum partium officia tur-
bantes, nobiscum non pugnabit. Subinnuere enim vide-
tur hanc interpretationem ipse Hippocrates, dum dicit,
ὀκώσαι, omnia quæcunque sint circa vesicam vitia.

Ἐργωδῶς difficulter, operosè, ab ἐργωδῆς operosus, labo-
riosus, cujus thema est ἔργον, opus, labor.

Difficultatem & dubium operosæ curationise ventum
hocce innuit adverbio *Cous*.

Ἐγιάζεται, thema est ὑγιάομαι, sanor, curor, incolumis
reddor, sanitati restitutor, à primitivo ὑγίεια sanitas, quæ est
potentia corporis viventis actiones, quæ secundum natu-
ram sunt, rectè exercendi.

Τοῖσι πρεσβύτησι pro τοῖς πρεσβύταις dialectu Jonicâ.
πρεσβύτης senem adultum significat h. l., qui jam vergit ad
ætatem decrepitam, vel qui mox attinget, aut jam dum su-
peravit annum quinquagesimum, quod patet ex VI. Epid.
Hipp. ubi se nunquam vidisse renum aut vesicæ ulcus sana-
tum post annum quinquagesimum Senex asserit, citante
Heurnio pamph. hujus aphorismi.

CAPUT II

ulteriore aphorismi expli-
cationem exhibet.

PROponit hoc aphorismo Senex prognosticon de morbis,
qui in ætate provectiore ut plurimum renes & vesicam,
omnesque partes reliquas, quibus hæc duo viscera sibi
mutuò connectuntur, quibusque urinæ à sanguine separa-
tio & excretio instituitur, promovetur & absolvitur, inva-
dunt.

Animus enim ipsi est informare & instruere medicum
practicum, cui fortean facilis videri possit ejusmodi affe-
ctuum sanatio, ne nimirum insolitum putet, si sine suo non

B

po-

potiatur & ægrum ejusmodi affectibus ad finem vitæ comitatum videat.

Multas hic intelligit partes, ut ex ἀναλύσει patet, quarum quælibet propriorum vitiorum foetus numerosos intra se, velut in utero, gerit felicique nimium partu in illa ætate excludit.

Renum morbos potiores quatuor statuit ipse venerandus artis Medicæ conditor *Hippocrates* in suis monumentis *lib. πρὸ τῶν ἐν τῷ πύθων*, cujus verba in usum nostrum trahere non gravaremur, nisi nimis amplum desiderarent locum, qui ipsis in tanta chartæ angustia negatur. Sufficiat saltem nominatenus indicasse, quot & quinam sint renum morbi.

Verborum ipsius initium tale est loco citato, editione *Fœsiana p. 539. 29. Αἱ τέσσαρες νεφροὶ αἱ ἀπὸ τῶν νεφρῶν γινόμεναι, quatuor ex renibus oriuntur morbi.*

I. Calculus. II. Dolor ex ruptis venulis, quæ ad renes feruntur, à causa aliqua externa. III. Inflammatio & exulceratio. IV. Dolor urgens.

Quorum causas, signa & curationem singulis apposuit.

Cæterum de calculo, utpote primario inter primarios renum morbo, videri possunt, quæ habentur *Ordin. & Method. Medic. Consultat. D. Rolinc. lib. XI. Consult. I. & Dissertat. Anatom. D. Schenck. Lib. 1. Sect. II. c. 32.*

Renibus malè affectis ex eorum vitiis, tanquam ex hydra Lernæa, multa generantur alia. Calculo enim inhibi genito, facilis succedit ureterum obstructio, dum sabulo tartareo in angustis hisce viis resistente & in dies aucto portentose dilatantur; sin vero grandior calculus superficie asper per eos transitum moliatur, intolerabilis doloris subjectum existunt, exitialem ruptionem patientes, aut à sero urinoso nimis acri corroduntur & exulcerantur.

Exempla horum affectuum vide sis *apud Panazol. pent. 4. observ. 31. & Hildan. oper. p. 749. & sequentib. Diomed. Cornar. consil. 11.*

Sicu-

Sicuti autem renum affectus dederunt peiores ureterum morbos; ita ab his procedit progenies vitiorum vesicæ nequior.

Jus primogenituræ obtinet calculus vesicæ, cujus sorores & agnati, retentio & difficultas urinæ, mictio cruenta, urinæ ardor, ulcera vesicæ, & quæ sunt alia ab intemperie, conformatione prava, unitateque soluta dependentia vitia, quæ familiam horum morborum constituunt, & à vitiatibus renibus suam potissimum numerant prosapiam. De quorum singulorum causis, diagnosi & ablatione consuli possunt practici.

Tantum morborum agmen *Cous* sapientissimus Læconica brevitate sub renum & vesicæ vitiis comprehendit, de quibus quidem tacitè concedit, quod in ætate teneriore sint expugnabiles, in proveciore verò, quæ jam quinquagesimum superavit annum, difficulter tales.

Neque eum destituunt rationes, sed plures una pro veritate suæ militant sententiæ.

I. Quia seniores, ob suarum virium imbecillitatem & calorem jam decrecentem, cruditates, quæ in dies cumulantur & materiam morbificam suggerunt, non nisi longo tempore & diuturno opere dissipare & concoquere possunt. Hinc fit, si ab ejusmodi vitiis occupentur, quorum sanatio in coctione potissimum materiæ morbificæ consistit, ut, quod calori ratione virium decedit, tempore & mora sit reficiendum, quam sustinere non æque ac juvenes didicere seniores. Atque inde concludendum, quod renum vitia & imprimis calculus, qui pituitæ crassæ & lentæ originem debet, difficulter in senioribus sanentur.

II. Omnis morbi sanatio perficitur in quiete partis laborantis; renum verò & vesicæ actiones non possunt non esse natura indefinentes, adeoque renalium & vesicalium morborum vel plane nulla, vel non nisi difficilima expectanda curatio.

B 1

III. Su-

III. Superfluitates per has partes quotidie excernendæ acres sunt; renes autem & vesica cum ureteribus sensu gaudent acutissimo. Si itaque præter naturam aliquo vitio laborant, tantum abest, ut levari possint, ut potius mediante acredine excrementorum continua oriatur erosio, quæ, doloribus in dies ingravescentibus, sanationem si non planè negat, tamen procrastinat miserrimè.

IV. Subministrat *Aurelianus*, qui putat ex eo difficilis esse curationis renum & vesicæ vitia, quod viæ sint angustæ, & quod renes positi sint in recessu corporis, ita ut medicamenta per os assumpta, non nisi alterata eò perveniant, & vel omnino nihil, vel parum virtutis inibi exerant: topica si adhibeas, propter crassitiem muscutorum, cutisque in senioribus ariditatem & densitatem renum affectus spe curationis inani te solertissimum aliàs sæpe lactabunt.

V. Vesica omnium membrorum ab ore est remotissimum, adeoque medicamenta per os assumpta viribus suis in itinere exuuntur & ob dubiam lentamque operationem, nimium quoque morantur morborum vesicæ sanationem.

VI. Et quamvis natura hunc defectum supplere conata, illam ita collocaverit, ut immediatè in eam medicamenta possint injici citra metum alterationis, situs tamen & figura repugnant, & non nisi longam, tædiosam, periculoque non vacantem curationem concedunt.

VII. Quoniam vesica substantia maximè sensibili, nervosa & exsanguis prædita est, quæ solutionem continui passa difficilimè consolidatur, non autem consolidata mortem minatur: patet periculi plenam ancepitisque eventus vulnerum & ulcerum vesicæ esse sanationem.

Hisce potissimum rationibus nititur veritas hujus oraculi Coici, cui etiam subscripsit *Hieronymus Cardanus*, quippe qui asserere nullus dubitavit in *Comment. hujus apb. vesicæ morbos esse omnium morborum pessimos.*

Ex antiquitate consentit *Aretæus lib. 2. c. 4. Τὸν ἐν τῇ κύστει νόσων ἑδὲν ἐν ἡγῆς*, vesica morborum nullus placidus.

Obji-

Objiciat verò aliquis, non esse præsumendam illam ad coquendas cruditates in senioribus imbecillitatem caloris naturalis, quia ob exactam diætam planè nullas, vel omnino paucas colligant, & præterea laudabili omnium qualitatum *συνμετρία* gaudeant; calor sit moderatus, humiditas superflua absumta, humectantibus resistatur siccitati & paucis, in ipsa senectute vita sit optima & sanitas constantissima, ut etiam non immeritò exinde Stoicus senectutis annos vocaverit optimos.

Neque, si fortean incidant in aliquem morbum, difficilis metuenda videatur ipsius ablatio, eò, quòd tanto facilius sit curatio, quanto magis provida est diætã, vitaque quieta & temperans, juxta id quòd protulit *Cow*, *quiete & abstinentiã multi magni morbi sanantur.*

Rz. Vera quidem hæc esse, si cætera fuerint paria, & ejusmodi seniores in juventute aut adolescentia reliquaque præterlapsa ætate non facilè contra diætã quicquam commiserint, ne postmodum delicta juventutis luere cogantur.

Notandum enim, quòd renum & vesicæ vitia seniorum non generentur in instanti, sed per *διήνεσιον*, longoque tempore opus habeant, à parvis initiis progrediendo, priusquam ad *ἀκμὴν* perveniant.

Et quoniam exiguis eorum principiis non resistitur, in tempore, altiores agunt radices, ut fortiorem ad sui coctionem, quàm illum senum saniorum calorem *συνμετρεον* deposcant, quo negato, in dies auctis cruditatibus morbi contumacioris & difficilioris, imò plane ancipitis, curationis evadunt.

CAPUT III

ἀντίθεσιον exhibet.

Cum renes & vesica nullo vitio domestico, quod ipso cal-

B 3

culo

14.
culo magis exitiale sit, torqueantur, placet ἐρωτήματα quædam de eodem proponere.

I. Unde & quomodo calculus generetur?

Bimembris hæc est quæstio: *causam materialem* prius, *efficientem* posterius inquit membrum.

De priori variaz circumferuntur diversarum sectarum, medicarum sententiaz, quarum tamen quælibet suos reperit admiratores & sectatores, qui curiositate famam aucupari suum esse & gloriosum putant.

Dogmatici suum sequuntur Ducem almæ artis conditorem & propagatorem venerandum *Hippocratem*, & materiam calculi ponunt pituitam viscidam, crassam & glutinosam, & hocce suum arbitrium Divini sui antesignani autoritate stabilunt. Utpote qui *lib. de internis affectibus* clarè docet αὐτῆς ἢ νῆστος γίνεται διὰ φλέγματος; quem secutus est fidissimus dogmatum Hippocraticorum interpret *Galenus III. aphor. 6.* ubi crassiorem partem, unà cum urinis ad vesicam delatam, materiam gignendorum lapidum esse asserit.

Huic sententiaz reclamant igne spagirico illuminati medici, Hermeti sua qui dederunt nomina, ac inde Hermetici nominantur. Hi usu & experientia edocti & confirmati, quod vis petrifica consistat in sale, neque ulla concretio fieri possit sine sale, pro materia calculi terrenam substantiam seu falsuginosam terreitatem sero dilutam agnoscere nulli dubitarunt.

Quam sententiam *Felix Platerus* & *Anselmus Boëtius* præ cæteris multis rationibus & experimentis circa calculi ἀνάλυσιν institutis orbi dederunt demonstratam.

Libavius, non infimæ notæ sacrorum Hermeticorum mysta, non falsuginem terrestrem sero dilutam, sed pinguedinem sulphuream, bitumineam, microcosmicam calculi statuit materiam, firmus experimentis Vulcanicis & rationibus.

Vul.

Vulcano enim subjecti calculi cornu redolent ob salis volatilis & spiritus bituminosi præsentiam.

Ratio ipsius verò est, quod homogæneo menstruo, quale est urina falsa præterlabens, non solvantur, ut salia; adeoque calculos esse pingues, & pingue tantum urinarum eis accrescere putat.

Otto Tachenius suo in Hippocrate Chimico cap. 14. alcali urinæ aut loci, & acidum indebitè impertinenterque aut per errorem in renes vel vesicam ex stomacho delabens & ibidem degenerans culpæ materialis causæ insinulat.

Et quæ sunt aliæ aliorum sententiæ sanguinem tartareum, congruatum & alios humores peccantes quæ accusant, quarum recensione in præsens supersedebimus.

Quibus omnibus nullam movebimus litem.

Interim quæsitum, fateri non erubescemus, nobis potissimum arridere dogmatico-Hermeticorum placitum: præprimis, cum ex ipsis monumentis Hippocraticis pateat, per *Φλέγμα* non intelligendam esse pituitam inspidam, aut humorem frigidum & lentum, à quatuor illis in sanguificatione ortis, separatum; sed talem humorem, qui terretatis, salis, calorisque adhuc particeps. *vid Anut. Foësi Oecon. in voc. Φλέγματ.*

Plura de materia calculi suggerunt *Celeberrimus Rolsinc. ord. & Verb. Med. conf. lib. IX. conf. I. II. III. Schenckius dissert. Anat. loco sæpius citato. Eiusdemque Colleg. probl. part. II. probl. LXVIII. Gualt. Charleton. Lithiasis. cap. III. Sect. I.*

Hæc de materia sufficient: causam efficientem quisque suæ sententiæ convenientem asserit.

Cous calorem amplectitur lib. de aëre, locis & aquis. edit. Foës. p. 286.

Sed quamvis authoritati Hippocraticæ aliàs multum tribuamus, tamen non veremur hac in parte ipsius castra relinquere & ad eos transire, qui causam efficientem primariam in specifica salium concresecendi virtute quærunt, atque ita ipsi materiæ calculescenti in hærentem statuunt, non re-

pu-

pudiatis interim, ut juvantibus, promoventibus & concurrentibus causis, calore, siccitate, & dispositione renum naturali lapidificâ.

Assertionem hanc comprobant quotidiana experientia & communis Hermeticorum dogmatum consensus, omnium rerum solidarum concretionem interno coagulatore, sali videlicet, deberi.

Sequuntur hanc sententiam, eam inculcant, defendunt & propagant, omnem supra laudem positi modò jam citati authores, quorum imperium & nos observamus.

Visa generatione calculi, ad extirpationem ejus provolvimur quærimusque

II An in extirpatione calculi convenient diuretica?

Cùm in calculo renum & vesicæ, horum viscerum potissimum expetatur à sabulosa colluvie purgatio, illaque per medicamina, quæ urinam strenuè educunt, optimè impetrari possit; commendanda videntur diuretica.

Verùm, quoniam lotium generatim & promiscuè sollicitant & fundunt, indiscriminatim & sine delectu ea propinare periculo non vacat. Cujus periculi scopulos ut evitemus, notandam, quod diuretica in *duplici* sint differentia.

I. *Propriè dicta valia*, quæ *calida* sunt & *sicca*: ita dicta, non quod sola urinas moveant, sed quod solas urinas, non verò lac & menses. Fundunt hæc humores & attenuant & ad urinæ vias præcipitant. Hæc in paroxysmo non conveniunt: foras quidem pellunt arenulas, sed quod restat contumacius reddunt. Extra autem paroxysmum lenientibus & humectantibus mistas planè rejicienda non sunt.

II. *Impropriè dicta*, quæ *frigida* potissimum sunt & *humida*, quæque tutiora perhibentur in paroxysmo, præprimis cum leniendo humectandoque compagem calculorum dissolvere est consilium.

Cum

Cum grano salis itaque diureticorum in calculo accipienda est commendatio, scilicet peractis peragendis, præparando & evacuando, ne in scopulos errorum maximo laborantium exitio impingamus.

Qualia verò aut quæ præ cæteris ablutioni renum & vesicæ inserviant, vide sis in *Ordin. & Meth. Med. Consult. Magnif. Rolfin. loco supra citato. & Lithias. Gualib. Charleton. cap. IV. Sect. II.*

III. An venæsectio conducatur in calculo?

Quamquam V. S. inter præsidia Chirurgica principem obtineat locum, & in morbis expugnandis ferè omnibus haud spernendam locet operam; in calculo tamen, an cum conferentia administrari queat, non immeritò dubitatur. Rationes dubitandi potiores sunt,

I quia calculus V. S. non indicat, sed plethora. Frustra itaque instituitur.

II Beneficio venæsectionis ablatio calculi expediri nequit, quia locus & natura ipsius repugnat; irritò itaque conamine peragitur.

III Vires in dolore nephritico sunt confortandæ potius, quàm debilitandæ: V. S. autem vires potius debilitat, quàm confortat.

Rz. I. Licet calculus venæsectionem non indicet, sed plethora, tamen cum calculus attritu suo dolores in vicinis partibus excitet sævissimos, quæ ex remotioribus partibus alliciunt sanguinem, qui inflammationem concitare potest: è re laborantis omninò erit, sanguinem confluentem ad partem affectam retrahere & causam inflammationis tollere.

II. Fatemur venæsectione non expediri extractionem calculi, & ablationem morbi, sed symptomata mitigari & inflammationes præcaveri.

C

III. V. S.

III. V.S. vires, quantitate & mole sanguinis laborantes & succumbentes, ablatione ejusdem reficit & restaurat.

Non itaque indifferenter in omni calculoso instituen-
da est V.S. ; sed *συχασμὸν* adhibeat medicus, an nimirum si-
mul adsit aliqua plethora, quæ causa inflammationis & ma-
joris mali existere possit.

Hæc enim præsentem, si magna, cum fructu venæ supe-
riores, si mediocris, quæ è directo est in malleolo vel pede,
secari possunt: *Vid. Laz. River. medic. pract. lib. 14. c. 1. p. m.
417. & ejusd. observ. cent. 2. observ. 15.*

IV. An calculum insolubilem sectione curare liceat?

IN lethalibus morbis, priusquam æger spe reconvalescen-
tiæ destituatur, generosissima ipsi sunt propinanda phar-
maca: cum præstantius sit, aliquid tentare, quàm nihil, sa-
tiusque sit, anceps experiri consilium, quàm nullum, si mor-
bus ipse ancipitis & dubii sit eventus.

Suadet hoc summus in arte medica dictator *Hippocrates*
lib. de loc. in homine: *τῶν νοσημάτων ὅ, ἢ αὖ ἰσχυροδυνότατον ὄσιν*
ἐν τέτοισι ὀδονιδυνέειν χεῖν. Ἰσχυρῶν μὲν γὰρ ὑγιᾶ ποιήσεις.
ἀτυχήσεις ἢ ὅπερ καὶ ὡς ἐμελλε γίνεσθαι τὸ ἔπαθε *Cum mor-*
bis alias maximè periculi plenus sit, periclitari oportet in his. Nam
si successerit, sanum reddes ; sin non successerit, nihil gravius, quàm
quod eventurum erat, patietur.

Ergò etiam calculo præsentem insolubili & grandiori
satius est tentare sectionem, quàm ægrum deploratum re-
linquere, præprimis, si æger ipse potius mori paratus, quàm
intolerabiles perpeti dolores tam diuturnos, in dubii even-
tus & periculi plenissimam consenserit operationem, cum
haud rarò successu felicissimo fuerit peracta.

Sed multis antagonistarum arietibus impugnatur *λι-*
τοτομία.

I. Cru-

I. Crudelissima est operatio : jam verò præstat desp̄-
ratos quietos relinquere, quàm crudelibus torquere chirur-
giis & medicamentis periculosis occidere.

II. Fidem suam lædit medicus, cùm hanc operationem
abjurare jusserit *Hippocrates*, cui subscripsit.

III. Hæc medicina ipso morbo gravior est, & dolores
magis intolerabiles, inflammationes, gangrænas comites
habet.

IV. Boni medici non est tortorem agere & dolorificis
operationibus chirurgicis ægros potiùs inquietos reddere,
quàm sanos.

V. Famæ suæ ut consulat medicus, absteineat potius ab
ejusmodi difficillimis curationibus, ne re præter spem malè
gestâ, audaculi temerarii turpissimam incurrat censuram.

VI. Quamvis sectio feliciter succedat calculusque
auferatur, morbosæ tamen dispositiones, quæ denuò generant
calculus, remanent. Deinde facilè contingere potest, ut
calculus sit adnatus, sineque exitiali læsione separari ne-
queat.

VII. Tandem quæ mala in extractione non sunt me-
tuenda, dum partes distrahuntur, & multa vasa dilaceran-
tur? Sed hæc adversariorum argumenta tanti non sunt, ut
herculeum hocce præsidium ullo modo infament.

I. Crudelitas, quæ salutem ægri intendit, non est cul-
panda, sed laudanda. Chirurgia sævit in partes corporis,
ut totum servet.

II. Medicus fidem suam non lædit, si suadet sectionem,
consentiente ægro, & præsentem exercitatio ad hanc operatio-
nem singularique scholarum testimonio ornato operario.
Jussit enim *Hippocrates* abjurare *λιθοκυσοτομίαν*, propterea
quod tum temporis peculiari privilegio certi medicorum
ministri erant constituti, qui spartam hanc subirent, nec
ægroto, nec medico refragante. Ejusmodi artificibus feli-
cissima nostro seculo superbit Gallia.

C 2

III. Nul-

III. Nullum est præsidium medicum, cujus usu licet molesto & amaro, effectus non intendatur gratus & dulcis. Cùm itaque calculus vitam acerbissimam reddat perpetua partium vellicatione & distentione dolorifica, nulloque cedat pharmaco, hocce grave arripiendum auxilium & symptomatibus, quibus comitatur, gravissimis debite resistendum.

IV. Exitus acta probat, & finis coronat opus: seu enim restituatur, seu moriatur, nihil decedit dignitati medici. Prius si contigerit, *ισόθετος* putabitur; sin posterior, fama ipsius non periclitabitur, quia nil gravius, quàm quod certo eventurum erat, æger passus est.

V. Potius famæ & existimationis periculum subire debet medicus, quàm humanitatis officium, quamvis ancipiti eventui conjunctum, ægro deploratæ valetudinis id ipsum postulanti negare.

VI. Ambabus largimur manibus, quod difficillima & periculosissima sit operatio; præstat tamen anceps auxilium, quàm nullum.

VII. Gnarus operator cavebit, ne quicquam adversi contingat in operando.

V. An vulnera vesicæ sint lethalia?

GEMINO magni *Hippocratis* testimonio affirmativa probari potest. *VI. apb. 18.* Κύστιν Διακοπέντι, ἢ ἐγκέφαλον, ἢ καρδίην, ἢ φρένας, ἢ τῶν ἐντέρων τί τῶν λεπτῶν, ἢ κοιλίην, ἢ ἥπαρ, θανατώδες: cui vesica perfecta fuerit, aut cerebrum, aut cor, aut septum transversum, aut tenue quoddam intestinum, aut ventriculus aut hepar lethale est.

Et lib. *πρὸ ἐνέσεων*: Αποθνήσκει δὲ ἢν τις ἐγκέφαλον τραυθῆ ἢ ραχίτην μυελόν, ἢ ἥπαρ, ἢ φρένας, ἢ κύστιν, ἢ φλέβα αἰμορροόν, ἢ καρδίην. *Moritur etiam, si quis vulneratum habet cerebrum, aut spi-*
na.

*nalem medullam, aut jecur, aut septum transversum, aut vesicam,
aut venam aliquam sanguinem multum fundentem aut cor.*

Idem comprobat *Galen. in com. & consentit Corn. Celsus lib.
V. de re medica cap. 26.*

Nec ratio destituit testimonia: sunt enim partes corporis, quarum officio vita carere nequit, proinde earum vulnera etiam sunt mortifera.

Pro negativa stat experientia, qua suadente concedimus quidem, quod plerumque ejusmodi vulnera mortem intulerint, veruntamen non semper.

Absolutè itaque vesicæ vulnera lethalia dicenda non sunt, sed si lethalia evadunt ejusmodi vulnera, symptomatum vehementiæ id unice adscribendum, maximè verò nimie sanguinis profusioni, si vasa fuerint dissecta, & fluiori urinæ continuo, inflammationi & dolori urgentissimo. Hæc nimirum nisi providè caveantur, faucium morti tradunt dolorificæ.

Coeterùm vesicæ consolidatæ exempla vide sis apud
*Schenckium in observ. & Cattirium observ. IV.
& ejus Scholio.*

COROLLARIA.

Interim ne ultima facies vacua relinquatur, exercitii gratia placuit quædam adjungere *Imperga.*

I.

Calculos in instanti generari posse nulli dubitamus asserere.

2. rye.

2.

*Inquiete & Inquiete medicina multum
juvant & ornant.*

3.

*Fundamentum medica statica est vectis,
in stateram mutatus, cuius brachium mi-
nus cum sella appensa teneat equilibri-
um cum brachio majore sine pondere.*

4.

*Exactissimum instrumentum differentias
pulsuum temporis complicatas inquiren-
di est pendulum.*

5.


Aër an nos nutriat? aff.

6.

*Succus nervorum an necessarius sit ad nu-
tritionem?*

•••(o)•••
•••
•••





01 A 656A

Nr. 17 (Teil nicht zu
ermitteln)

ULB Halle

3


002 936 143




Sb.

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

20.

29

B. V!
OCRATIS COI

Sectionis VI,

eficæ in Senioribus
traditur,

UTIO,

tate Inclyta Facul-
medica

lana,

RESIDIO

HARTMANNI,

ed. Doct.

censura exposita

IANO DICELIO,

denfi,

Medicorum,

ii Anno 1670.

suetis.

N Æ,
THERIANIS.

